

cedente igne, in actum erodendi prorumpit, Spiritus ejus fuliginosus & salinus, quem quisquis corrosivum esse neget, næ is dignus sit, cui oculos ille & palatum indefinenter mordicet. Per hunc spiritum sulphuris quum illa quoque calcinatio Crolliana perficiatur, utique negandum minimè est, eam per corrosivum peragi atque absolvi. Simile est de similibus calcinationibus Judicium.

Superest adhuc alius calcinationis auri modus, à duabus illis, humida & sicca, distinctus, nisi quis eum malit, ad humidum referre, videlicet corrosio auri per mercurium. Qui tamen modus quum Chrysopeæiæ magis, quàm medicinali inserviat, eum tanquam à proposito nostro alienum in præsentiarum dimittimus. Itaque hætenus tradidimus modos auri duplici via calcinandi, humida & sicca, Quarum alterutra, si nostro proposito accommodetur, saltem quasi rude quoddam initium calcinationis utraque est futura. Et enim utriusque generis calces, si menstrui nostri magistralis actionem commodam suscipere debeant, necessum est, ulterius adhuc, idque operosius, subigi ac elaborari, Quod quàm conveniente ratione ego faciam, est operæ pretium breviter indicare.

Calcinatio Ulterior.

Est in rerum natura liquor, neque ex vegetabilium neque animalium, neque mineralium, familia præcisè oriundus, de quo tamen nullum, sive vegetabile, sive animale, sive mineralenon participet. Is arte spagyrica ad summum exaltatus, evadit planè spirituosus, acréus, Diaphanus, subtilis,